



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis**

**Dietrich <von Engelsheim>**

**Münster, [1893-1897]**

80. Bulla Eugenii, pape, missa Imperatori Sigismundo ad Basileam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

80. Eugenius episcopus, servus servorum Dei, carissimo  
 1434 in Christo filio Sigismundo, Romanorum imperatori, sa-  
 15. Dec. lutem et apostolicam benedictionem. Per dilectum filium,  
 nobilem virum Andream Donati, militem et oratorem  
 Venetorum recepimus una cum literis tuis ea, que con-  
 venta fuerunt inter concilium Basiliense et tuam Sere-  
 nitatem, que nos pro pace ecclesie acceptavimus, prout  
 videre poterit per nostras literas desuper confectas,  
 quas idem Andreas secum portat. Ipse etiam retulit,  
 quamquam ea non incognita erant nobis, quatenus cum  
 fervore, cum diligentia et caritate honorem et dignitatem  
 nostram nullis laboribus parcendo pro conservatione  
 status nostri et dignitate apostolice sedis nos defenderis.  
 Retribuat tibi Ille, qui omnium est retributor pro hac  
 tua tam sincera affectione, operibus egregiis, que sunt  
 digna magna laude et summa omnium commendatione.  
 Nos quidem, quas possumus, agimus gratias tue Sere-  
 nitati pro amore et benevolentia, que ostendit circa nos  
 iuriumque honoris et cause defensionem, hortantes et  
 rogantes eandem, quemadmodum laudabiliter cepisti,  
 ita et usque ad consumationem laudabilius perseveres  
 agendo et consulendo ea, que ad tutelam honoris et  
 dignitatis nostre et salutem et exultationem ecclesie  
 cogoveris expedire. Magna quidem prudentia te orna-  
 vit Deus, maiori consilio maximaque auctoritate; nos in  
 plurimum speramus et confidimus, quod Altissimus ad-  
 herit<sup>1)</sup> et favebit iustis cogitationibus tuis. Datum Rome  
 apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice mille-  
 simo quadringentesimo XXXIII, XVIII kalendas Januarii,  
 pontificatus nostri anno tertio.

---

<sup>1)</sup> für aderit.



Nachstehender Auszug aus einer Abschrift im Kgl. Staatsarchiv Münster, Fürstenthum Paderborn, 1520<sup>23</sup>, wird hier als zur Sache gehörig eingeschoben.

Copia procuratorii capituli ecclesie Padeburnensis contra dominum archiepiscopum Coloniensem.

In nomine Domini amen. Anno a nativitate eiusdem 1434  
 MCCCCXXXIII, indictione duodecima, die vero sabbati, 20. Jan.  
 XX mensis Januarii, hora primarum . . . in mei notarii  
 publici testiumque infrascriptorum . . . presencia personaliter  
 constituti et capitulariter congregati venerabiles et circumspecti viri  
 domini Alradus de Busche, prepositus, Hinricus de Haxthusen decanus,  
 Otto Speghel senior, Albertus de Haxthusen, prepositus in Bustorp,  
 Hinricus de Driborgh, Lodewicus de Rostorp, cantor, et Otto de Twiste,  
 canonici ecclesie Padeburnensis, in loco capitulari propter hoc capitulariter  
 congregati et capitulum representantes . . . fecerunt, creaverunt et ordina-  
 verunt suum verum legitimum et indubitatum sindicum et procuratorem,  
 . . . videlicet honorabilem et discretum virum dominum Hermannum de  
 Reckelinchusen, canonicum dicte ecclesie, ibidem presentem et onus  
 huiusmodi in se sponte suscipientem ad comparendum in et coram  
 sacrosancta synodo Basiliensi . . . nomine dictorum constituencium  
 in causa . . . contra et adversus . . . dominum T(heodericum) archiepiscopum  
 . . . eamque in iudicio et extra agendum, ipsamque ecclesiam Padeburnensem  
 et eius . . . iura et privilegia defendendum ac . . . facultatem et potestatem  
 prefatis dominis constituentibus eligendi vel postulandi proprium episcopum  
 vel saltim ipsi ecclesie Padeburnensi de proprio pastore et episcopo ydoneo  
 per ipsum concilium seu alio potestatem habentem . . . provideri procurandum.  
 . . . Acta sunt hec in loco capitulari maiori dicte ecclesie . . .



presentibus ibidem discretis viris dominis Johanne Pelmeken in Lipspringe et Manegolde Bernemans in Ostlangen plebanis, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Et ego Raveno de Ripen, clericus Padeburnensis et publicus imperiali auctoritate notarius, . . . hoc presens publicum instrumentum . . . confeci. . . .

81. Anno Domini MCCCCXXXIII de mense Februarii domini de capitulo Paderbornensis ecclesie miserunt ad concilium Basiliense propter vocationem serenissimi principis domini Sigismundi, regis Romanorum, Ungarie et Bohemie, totiusque christianitatis imperatoris necnon reverendissimi domini, Conradi, archiepiscopi Moguntini, ut supra sub numero 63 et 64 continetur, venerabilem virum dominum magistrum Hermannum de Rekelinhusen, cui presens causa permaxime erat nota ex eo, quod eandem in curia Romana usque ad advectionem ut conprocurator promovit et eorum concanonicus fuit, qui eandem tunc in concilio Basiliensi, ubi advocatus fuerat, promovit et sollicitavit, prout infra deducetur. Eodem tempore in septimana Pasce egregius dominus Henricus de Haxthusen, utriusque iuris doctor, decanus ecclesie Paderbornensis per illustrissimum principem dominum Adolfum, ducem Julie Montensis et comitem Ravensbergensem in causa sua ducatus Gelrie ad idem concilium missus erat cum solempni comicia. Ubi pro tunc predictus illustrissimus dominus imperator personaliter erat constitutus, pro tunc a Roma reversus et ibidem a domino nostro papa coronatus erat ect. Ibi reverendissimi patres, domini Julianus, cardinalis sancti Angeli, apostolice sedis legatus, cardinalis sancte crucis, cardinalis sancti Eusthagii, cardinalis de Cipro, cardinalis sancti Petri, et Branda cardinalis, patriarcha Anthiocenus